

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

Capvt IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

P. Arcudius l. 3. c.
9. de Concord.
Kecel. Occid. &
Orient. in Sacra-
ment. administ.
Concilium illud
in versione Latini
nunquam videntur
fuisse.

etiam ab aliis
dicitur quod non
aperte
procedit
etiam
ad
id est Patriar-
charum.

Episcopus Arienensis, quam anno MDXXVI. publicavit: in qua multoties hallucinatus est, ut observat Arcudius. Suspicari licet, de industria hunc locum ab eo minus sinecere redditum; quia contentiones quae de Canonibus inter Græcos & Latinos emergerunt, in Latina interpretatione Concilium omnino dissimulat. Quod discrimen alienam à pactis conventis cum Orientalibus sententiam Decreto affingit; cùm è Græco contextu conficiatur, Papa privilegia esse explicanda & exercenda secundum canones & secundum Acta Conciliorum Oecumenicorum, id est, oēo Conciliorum quae ex Occidental & Oriental Ecclesia constabant. At è contextus Latinis depravata lectione eruitur, plenam esse Papæ potestatem, idque probari Actis Conciliorum, & Canonibus. Si quis sibi persuadere malit delulos à Latinis Græcos ambigua scribendis ratione, per me licet; præcipue cùm apud Antoninum eadem lectio Latina representetur. Verba autem Græca in sincero sensu accepta modum exercitio potestatis pontificiae imponunt, ei similem quem Ecclesia Gallicana tuerit. Imò verò Græci videntur formula nostræ penè simili juribus Ecclesiæ suæ cavisse. Etenim Decretum illud, quod liberam Papæ administrationem agnoscit, his verbis concludunt, *salvis videlicet privilegiis omnibus & juribus Patriarcharum*. Quemadmodum solenne est in Gallia Summi Pontificis auctoritatem colere, *salvis juribus & Libertatibus Ecclesiæ Gallicanae*.

CAPVT IX.

Synopsis.

I. Consuetudinem receptarum usus à Pontificibus probant. Ius canonicum confat canonibus & moribus. Magna vis consuetudinis in Ecclesiæ administratione. Disciplina complectitur ritus sacros & iurisdictionem. In utroque capite, par auctoritas consuetudinis. Duplex consuetudo, vel universalis Ecclesiæ, vel quarundam provinciarum.

II. In consuetudine particulari hec est regula, eos mores retineri posse qui fidei non officiunt. *Gregorij Magni ea de re locus.*

III. Hac regula uititur Theophylactus ad conservandam communionem Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis, quarum ritus vary. Et Leo IX. atque Fulbertus.

IV. Et ante ceteros, Ireneus; qui Victorem monuit, ne Ecclesiæ Asiaticæ recideret ab Ecclesiæ communione, ob divergam consuetudinem. Acquisivit Victor Ireneus. Vnde refelluntur Novatorum arguie, ex hac nova animadversione.

V. Quod de ritibus dicitur, trahit debet ad reliqua discipline capita. Gallicanas consuetudines laudat Gregorius M. & Alexander III. tolerat, li-

cet Romanis contrarias.

VI. Expendit regula *Decretalium*, consuetudines esse nullas que violent libertatem ecclesiasticam. & Principibus ecclesiastica negotia permittunt. Quod verum, si libertas omnino tolleretur, non autem firestringatur, è Covarruvia. Aliis placet consuetudinem esse nullam; sed si privilegium allegetur, presumi concessum fuisse, ex possessione immemoriali.

VII. Hanc solutionem amplexi sum maiores nostri. Hinc manaverunt Privilegia Ecclesia Gallæcana, & Crimina Privilegiata apud Pragmaticos. Huius consuetudines Gallie excusare Bellarminus & Snares, sub nomine Privilegi.

VIII. Alio etiam modo responderi potest: In dubio an Principibus bac potestas competat, sedem apostolicam convivere. Quæ connivencia dispensationis vicem subit, si necessaria sit. Questio excitata, an ex hac toleramia nascatur prescriptio, non est necessaria. Theologi quidam negant. Iuris consulti assertum ex hac toleramia sequi prescriptiōnem.

IX. Canones & recepte consuetudines mutari non possunt sine dissidio. Observatione canonum concordia retinetur. Consuetudines tolerate à Pontificibus, ne dissensiones orirentur ex novitate.

I. N O S solūm autem Canonum & Decretorum perpetuam executionem polliciti sunt Summi Pontifices; sed etiam benigno in subiectas Ecclesiæ animo usi, consuetudines antiquas in provinciis inviolatas servari voluerunt. Ius enim canonicum, perinde ac civile, scripto & non scripto constat. Vnde Iudices cognitores in Concilio Chalcedonensi recte pertinunt ab Anastasio Episcopo Nicæno, qua ratione probare veller Ecclesiæ Basilino-poleos subiectam esse Nicænam, *an secundum canones, an ex consuetudine aliqua*. Et annis aliquot superioribus Faustinus Legatus Romanae Ecclesiæ dixerat in Concilio Africaano, aliqua teneri canone, aliqua verò consuetudine. Quare Photius in Nomocanone recte adnotavit ecclesiasticam consuetudinem non scriptam perinde ac legem servari; quod probat & Synodo sexta, & & Basilij locis aliquot. Eandem consuetudinis antique auctoritatem probant Ivo & Gratianus in collectionibus suis, ex Augustino & Isidoro, aliisque testimonis. Planè dubitari non potest quin magna debeat esse vis consuetudinis in disciplina ecclesiastica administratione, cùm ex ea provinciarum privilegia metienda esse synodus Nicæna velut editio perpetuo definiverit, *Antiqui mores obtineant*, inquit, idemque postea synodus Ephesina generalibus verbis constituerit, ut omnibus provinciis jura intemerata serventur, quæ illis ex antiqua consuetudine competent.

Cum autem disciplina ecclesiastica duo summa capita complectatur, ritus scilicet, & jurisdictionem, consuetudinis in utram-

que partem par omnino est auctoritas; et si religiosius tractanda sint quæ ritus sacros respiciunt, cum pietatem atque externum divini numinis cultum contingant. Sed, ut eleganter monuit D. Augustinus, de consuetudine dupliciter disputare possumus; vel ut est universalis Ecclesiæ traditio, vel ut est propria & particularis quarundam Ecclesiarum institutio. Universalis illa traditio; quæ per universam servabatur Ecclesiam, nec à Conciliis decreta erat, quin ab Apostolis profecta esset non dubitabat Augustinus. Sed traditionem illam missam facimus, quæ ad propositum nostrum non pertinet.

I I. De particularibus provinciarum moribus est agendum : in quibus hæc regula tenenda est, ut si fidei non officiant, usurpari possint prout à majoribus sunt traditi; nec aliorum consuetudo aliorum contrario more subverti debeat, ut docet Gratianus ex Augustino, Hieronymo, & aliis.

Quare Gregorius Magnus, divini & humani juris callentissimus Pontifex, inveratas consuetudines, quas in administranda Ecclesia sequebantur, Africanis integras reliquit. Concilium Numidiæ à Pelagio Gregorij decessore petierat ut verusti mores, qui per Numidiam ab ipsius B. Petri temporibus invaluerant, inviolati servarentur. Gregorius post obitum Pelagi rescriptus se omnia antiqua *capitula* illis permettere quæ fidei contraria non essent. Prudens sane responsum, quo pax Ecclesiarum continetur, & contentionibus quæ disciplina sæpiissime emergunt, via penitus occluditur. Peutis, inquit, per Hilarium Chartrarium nostrum à beate memoria predecessore nostro, ut omnes vobis retro temporum consuetudines servarentur, quas à B. Petri Apostolorum principis ordinationum initii hæc tamen vetustas longa servavit. Et nos quidem juxta seriem relationis vestre, consuetudinem, que tamen contra fidem catholicam nihil usurpare dignoscitur, immotam permanere concedimus, sive de Primatibus constituendis, sive de ceteris capitulis. Eodem sensu rescriptis ad Dominicum Carthaginensem Episcopum: *De ecclesiasticis privilegiis quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua iura servamus.*

I III. Quidquid ab Africanis usurpabatur, dummodo fidei regulam non violaret, Gregorius disertè confirmat. Eadem regula usus est Theophylactus Bulgariae Archiepiscopus in epistola ad Nicolaum Diaconum & Castrinum, qui ab eo petierant an Grecis liberum esset Ecclesias Occidentalis

communionem amplecti, ob discriben-
quod in jejuniis, in sacerdotum celibatu-
in azymis, & plerisque aliis mysticæ disci-
plinæ articulis intercedebat. Respondebat
graviter his verbis inter cetera: *Non omnis*
consuetudo ad dissociandas Ecclesias valet, sed
qua dogmatis differentiam inducit. ubi alludit
ad contentionem de processione S. Spiritus.
Eadem fuit sententia Leonis Papæ IX. qui
circa annum millesimum quinquagesimum
Michaëlem Constantinopolitanum Episco-
pum & Leonem Acridanum acriter objur-
gat quod Romanam Ecclesiam ob ritus
duos & azymum panem in sacrificiis adhibi-
tum damnarent, & unumquemque coge-

rent ad Græca instituta amplectenda; quamvis alio jure uterentur Romani, qui libera-
ram in urbe Græcorum rituum observatio-
nem relinquēbant, ne qua dissidij occasio
inter Ecclesiās orretur. Hæc sunt verba
Leonis: *Vt enim fertur, omnes Latinorum Ba-
silicas penè clausis, monachis monasteria &
Abbatibus tulisis, donec vestris viventer insti-
tutis. Ecce in hac parte Romana Ecclesia quanto
discretior, moderatior, & clementior vobis est.*
Siquidem cum intra & extra Romanam plurima
Græcorum reperiantur monasteria, sive Ecclesia,
nullum eorum adhuc perturbatur vel prohibetur
à posternatraditione, sive sua consuetudines quin
potius suadetur & admonetur eam observare.
Nec enim animositatem impie heresos habet,
que semper divisione gaudet, dicens per patri-
cidam hereticum: *Nec mihi nec tibi sit, sed in-
cidatur.* Sed pietate vere matris sic Salomonem
deprecatur: *Obsecro, Domine, date huic infan-
tem vivum, & nolite interficere eum.* Scit nam-
que quia nihil obsunt saluti credentium diverse
pro loco & tempore consuetudines; quando una
fides per dilectionem operatur bona que potest,
uni Deo commendans omnes. Aliquot annis ante
Leonem Fulbertus Carnotensis de variis
observationibus Ecclesiarum Orientis &
Occidentis, eadem regula usus, judicium
tulit: *Sed nec parva nec rara sunt, que ab aliis
necessariò servanda, aliis non adeo curanda
affirmantur.* Nec tamen nos offendit observantie
diversitas, ubi fidei non scinditur unitas. Porro
in multis Gracia ab Hispania, ab illis Romana
& Gallicana discrepat Ecclesia. Sed neque in hoc
scandalizamus, se audimus diversam observationem,
sed non diversam fidem in Christi semper
Ecclesiæ extitisse. Stet enim Regina Eccle-
sia à dextris Regis sui, in vestitu deaurato,
circumdata varietate.

I. V. Sanè varias jam olim invaluisse consuetudines in Quadragesimæ ceterisque statutorum dierum jejuniis adnotavit Irenaeus , eamque observationum discrepantem nullum in Ecclesiam diff.

Theophyl. relatu-
li Denico. Cho-
matius l. c. Iuris
Graec. Rom. et
Iuris l. 3. De Regni-
cione. Chrysostom.
et alii. ad hanc
partem discepta
est de regno Christi
lib. IX. ep. ad
Michael. c. 3.
Decimus aposto-
licus & Lactantius
Ecclesiastica novis
suppositionibus ar-
tus incredibiliter
narratur. Nonne
concedit enim pa-
tronus domino, pro
mo maxime quid
de auxiliis ostendat
consecrationes
Dominus Pauperes
in celebrare,
dern. c. 29.
Additio per Rum-
abum. Cluniacensis
l. 1. ep. 2.
Sunt immensissi-
morum et diversissi-
morum Ecclesiarum
etiamdem ad unam
ethicalem per-
sistunt conformati-
sunt ut penit-
entia se varietas
suum, quanta
multiplicitas Ec-
clesiarum. Sed non
minus aliquem
coram vestimentis,
et virga fideli-
tatis, et cari-
tas compaginato-
rum dislocari. Vbi
perturbat fidem
laicorum, et cari-
tas nostra peri-
litur, si secundum
et per, dannabile
et si publice,
insolubile simul
et hereticum.

Fullertus ep. z. ad
Finardum.

dium intulisse, sed æquo animo pacem inter Sacerdotes retentam. Quo arguento, & aliquot Pontificum Romanorum exemplis adductis, persuasit Victori Papæ anno CXCVIII. ut pacem Polycratii ceterisque Asiaticis Episcopis restitueret; quos Ecclesiæ communione privarat, quod à reliquis orbis Christiani Episcopis dissentientes, decimaquarta Luna, non autem die dominica, Pascha celebrarent. Censuit enim Irenæus, æquum non esse ut Victor tot Ecclesiæ à communis unitate recideret, ob morem antiquum cuius se retinentes præstabant. Exoratus Victor, ut præcipua auctoritatibus que in Romana fide viget specimen edidit, excommunicatione in Asianos lata universalis Ecclesiæ traditionem comprobatam à quanplurimis synodis nutu ejus indicis constantissime vindicando, ita quoque humanitatis remissionisque in toleranda consuetudine particulari singulare exemplum præbuit. In gratiam enim statim redivisse Polycratem & Asiaticos cum Victore, retento Ecclesiæ suarum usu, restatur Sozomenus: *Decreto communi singuli, ut consueverant, festum agentes, à mutua communione non recesserunt. Frivolum enim & meritio judicarunt consuetudinis gratia à se mutuò separari eos qui in principiis religionis capitibus consentirent.* Dissimulandum tamen non est, errore irrepsisse in textum Sozomeni in Polycratis nomine, cùm lectio integra remanserit in nomine Victoris: *Sapientissime autem arbitror, inquit, soluisse subvertam olim de eo controversiam Victorem tunc temporis Rome Episcopum, & Polycarpum Smyrnensem.*

*Ex vetero villa
re nomine apud
Sozomenus reli
efforitur letio de
Polycratis nomine.*

dium intulisse, sed æquo animo pacem inter Sacerdotes retentam. Quo arguento, & aliquot Pontificum Romanorum exemplis adductis, persuasit Victori Papæ anno CXCVIII. ut pacem Polycratii ceterisque Asiaticis Episcopis restitueret; quos Ecclesiæ communione privarat, quod à reliquis orbis Christiani Episcopis dissentientes, decimaquarta Luna, non autem die dominica, Pascha celebrarent. Censuit enim Irenæus, æquum non esse ut Victor tot Ecclesiæ à communis unitate recideret, ob morem antiquum cuius se retinentes præstabant. Exoratus Victor, ut præcipua auctoritatibus que in Romana fide viget specimen edidit, excommunicatione in Asianos lata universalis Ecclesiæ traditionem comprobatam à quanplurimis synodis nutu ejus indicis constantissime vindicando, ita quoque humanitatis remissionisque in toleranda consuetudine particulari singulare exemplum præbuit. In gratiam enim statim redivisse Polycratem & Asiaticos cum Victore, retento Ecclesiæ suarum usu, restatur Sozomenus: *Decreto communi singuli, ut consueverant, festum agentes, à mutua communione non recesserunt. Frivolum enim & meritio judicarunt consuetudinis gratia à se mutuò separari eos qui in principiis religionis capitibus consentirent.* Dissimulandum tamen non est, errore irrepsisse in textum Sozomeni in Polycratis nomine, cùm lectio integra remanserit in nomine Victoris: *Sapientissime autem arbitror, inquit, soluisse subvertam olim de eo controversiam Victorem tunc temporis Rome Episcopum, & Polycarpum Smyrnensem.*

Legendum est, Polycratem. qui error proclivis est. Ex sola rei gestæ narratione non solum probatur assertio nostra de retinenda communione cum diversis ritibus, sed etiam Novatorum calumniae refelluntur, qui Victoris excommunicationem à ceteris Ecclesiæ spretam, & Ecclesiæ Asiaticarum confortum ab omnibus retentum prædicant, adeo ut qua adversus illos directa erat machina, in nostros contorqueant, nec vano quidem id, nisi exceptione à nobis proposta repellantur. Probent enim (quod facillimum est) non rejectos Asiaticos à communione Orientalium post Victoris censuram, hoc de dignitate sedis apostolice nihil demit, cùm ad Irenæi suggestionem pacem redditam à Victore docuerimus. Ex Eusebio enim & Socrate constat de excommunicatione à Victore inficta, & de Irenæi epistola. Ex Sozomeno autem, de communione Victoris & Polycratis non interrupta. Quod aliter contingere non potuit, nisi suspenso à Victore excommunicatio-

tionis effectu, post monita Irenæi. Ceterum Sozomenus & Socrates varios Ecclesiæ ritus observantes qui earum concordie non officiebant. Qui in eadem fide consentiunt, inquit Socrates, idem in ritibus & ceremoniis inter ipsos discrepant.

V. Ex antiquissima & recentiore Ecclesiæ præxi demonstratum est varios ritus in sacrorum administratione externique cultus disciplina non interrupse mutuum Episcoporum consortium, toleratique à Romanis Pontificibus in aliis provinciis consuetudines qua fidem non violarent. Vnde colligere licet, eadem beniginitate usuros quoque Summos Pontifices in altero disciplinæ capite, quod personas vel res ecclesiasticas, non autem ritus ipsos respicit. Hac indulgentia Africanis consuluit Gregorius, quibus veteres consuetudines intactas praestit, quæ fidei non adverfarentur. Idem ejus consilium fuit de Gallicana Ecclesiæ consuetudinibus, ut patet ex epistola ad Augustinum Anglorum Episcopum: *Mihi placet, inquit, ut siue in Romana, siue in Gallicana, siue in qualibet Ecclesia inveniensi quod plus omnipotenti Deo placere possit, sollicitè eligas.* Alexander III. decefforum vestigis haerens, in re gravissima, id est, in matrimonij nullitate, Ecclesiæ Gallicanæ consuetudinem, licet Romanae contrarium, tolerandam esse rescripsit: *Licet Ecclesia Romana, propter maleficia, legitimè conjunctos dividere non consueverit, si tamen consuetudo generalis Ecclesiæ Gallicana habet ut hujusmodi matrimonium dissolvatur, nos patienter tolerabimus.*

V I. Quæ disputata sunt docent remissionis usum à majoribus nostris adhibitum in tolerandis consuetudinibus quæ fidei non officerent. Sed novo jure Decretalium addita est altera exceptio, nempe ut inutiles habeantur omnes consuetudines quæ aliquo pacto libertatem & immunitatem ecclesiasticam violent, id est, quæ Principibus laicis potestatem quandam in res aut personas ecclesiasticas indulgent. Quia cùm rerum spiritualium tractandarum sint incapaces, ratione destituta censerunt confuerudo quæ rerum conditionem evertit, ideoque nullo tempore, etiam immemoriali, vires obtinere potest, ut docent plerique Iuris Canonici interpres.

Hac difficultate se quidam expedient, adhibita distinctione, ita ut immunitas omnino & in universum abrogari non possit, vel adeo restringi, ut maxima ordini ecclesiastico fiat injuria, sed in quibusdam articulis ei derogari possit, consuetudine quadam mixta quæ ex Clericorum &

Gregor. In m. id
August. Anja.
Ep. c.

Alexander III. b.
Appendicis.
Later. c. i. 6. 50
gidi.

C. Cleric. De
dictio. c. claus.
re. De dictio. il
vixit. c. clau
sare. De dictio.
c. 3. Cicerio. De
dictio. c. 3. 3. 3.
de. c. 3. 3. 3.
Ma. Melati. In
dictio. c. 3. 3. 3.
de. 3. 3. 3.

laicorum consensu proficiuntur, ut recte obseruat Covarruvias. Ob quam rationem se forensem Gallorum usum non damnare profitetur de convenientibus Clericis coram judge seculari in actionibus realibus. Alij verò hunc nodum ita solvunt. Farentur ex possessione immemoriali, nec præscriptio-nis, nec consuetudinis titulo, rerum spiri-tualium administrationem laicis acquiri posse; attamen ex consuetudine præscripta, per possessionem illam immemorialem instru probationem privilegij à Summo Pon-tifice concessi. Itaque aiunt in hac specie sufficere ut allegetur titulus, id est, privile-gium à superiore indulatum. Ejus enim pro-batio sola possessione centenaria vel imme-moriali conficitur, etiamsi nullæ exhibeantur privilegij tabulae. Morosiores re-quirunt, ad summum, probationem famæ, quæ doceat privilegium illud concessionum fuisse: quamvis haec conditio à multis ne-cessaria non esse dicatur. In eum autem finem requiritur privilegij allegatio, ut con-ster, vel saltem censeatur, laico idoneita-tem seu capacitatem rei ecclesiastice tra-ctandæ, indultam fuisse à Summo Pontifice.

VII. Hunc loquendi modum secuti sunt Gallicani auctores Aufrerius & Benedictus, aliique pragmatici, qui ex privilegio sedis apostolicae Principibus nostris in plerisque ecclesiasticis negotiis jurisdictionem vindicant, & privilegij probationem è verutissima possessione petunt, in iis capitibus, in quibus desunt privilegiorum tabulae. Vnde Franciscus I. Constitutionibus editis profi-teret se privilegiis à Summis Pontificibus indulitis auctoritatem in quibusdam rebus consecutum esse. Hac privilegij allegatio-ne, cui adjecta erat verutissima possesso, jura sua à Decretalibus infraicta conservabat, juxta pragmaticorum Doctorum re-ceptam sententiam. Quare nulla est suggil-landi majores nostros relicta occasio, quod crimina quedam Privilegia dixerint, (qui mos loquendi retinetur etiam hodie apud omnia tribunalia) quodque Libertates Gal-licanas, Privilegia vocaverint. Id enim pro-fectum è doctrina interpretum Iuris, qui præscriptionem & consuetudinem inver-erat rejecabant in hac specie, nisi ac-cederet privilegij allegatio, quo vitium per-sonæ laicæ non idonea ad spiritualia possi-denda purgaretur. unde privilegij vocem recte Principes nostri usurparunt. Neque enim si quod jus aliunde iis competebat, ut se his negotiis interponerent, novo privile-gio confusum vel abolitum erat, ut supra monimus ex Hincmaro, cap. 1. hujus li-bri §. ultimo. Licet enim jura cumulare, ut

docent interpretes, & privilegium adhibe-re ad munienda illa quæ jure communi com-petunt. Hoc autem loquendi modo id con-secuti sunt, ut etiam Romanæ Curiæ lumen, Illustrissimum Cardinalem Bellarminum, ad juris nostri confirmationem hujus tituli specie traxerint, & Franciscum Suarem, li-cet alioqui Principum causæ sèpe minus æquum. Recitabo ejus verba: Non audeo damnare usum talium privilegiorum; sed hoc apostolice sedi remitto. Nam etiam Cardinalis Bellarminus cap. 35. contra Barlaicum, cùm ille diceret esse in Galia delicta quedam gravia qua. Privilegiata dicuntur, ipse responderet, ideo dici privilegiata, quia privilegio sedis aposto-lice indulatum est Regibus Francorum ut ea delicta cognoscere possint. Quibus verbis videtur illam excusationem non improbare, sicut eam non improbat Julius Clares & Aufrerius, quos allegar.

VIII. Ceterum etsi formulæ Pragma-ticorum satisfecerimus, Privilegiorum men-tione injecta, sinceror mihi videtur haec respondendi ratio, si mero jure regio in certis articulis, in aliis verò jure Patrocinij & Tuitionis, Principes ad se quamplurima olim traxisse dicamus, quæ à Summis Pon-tificibus perstricta non sunt; ab illis deinde aliquanto tempore cessasse, cùm novis De-cretis sunt vetita; quorum cognitionem iterum resumperint, ad procurandam re-gnorum suorum ipsiusque Ecclesiae Gallica-næ salutem; hanc verò possessionem sine ulla interpellatione Summi Pontificis reti-nuerint ab aliquot seculis, hodiéque reti-neant. Quæ conniventia sedis apostolica id maximè præstat, ut bona fide Principes in eo negotio tractando versentur, quod ad se pertinere non improbabili ratione putant; ita ut patientia illa, si necesse sit, vi-cem privilegij & dispensationis subeat, etiamsi in singulis speciebus privilegium ex-hiberi non possit; quod tamen in gravioribus & majoris momenti capitibus, Regibus nostris non deest. Qua de re specialiter di-cemus sequentibus libris; ubi per capita ostendemus quæ hic per aversionem & ge-neraliter adnotamus. Huic autem cogni-tioni Principum faciles se præbent Summi Pontifices, vel ob maximam quæ inde con-sequitur in Ecclesia Galicana utilitatem, vel ut viter offendio Principum, qui ægræ pa-terentur se ab ea auctoritate dejici quæ hereditario jure à majoribus suis ad se trans-missam retinent, & inter præcipua regia Corona jura recensem.

Excitatur à quibusdam gravis quæstio, an ex tolerantia Papæ sequatur legitima præ-scriptio, qua Principes jura sibi tempore

V iii

L. 4. ff. ad legem
Falc. Abbas in c.
Post electionem
De concil. præb.
Felicis in c. In
missa. num. 2.
de refer.
L. forma p. fin.
ff. de censibus.

Savres l. 4. De-
finit. Fidei c. 34.
a. 29.

quæsita tueri possint. Eam præscriptionem Concordia Sacerdotij & Imperij necessariam esse non existimo : cui sufficiet ut convenientia illa , & benignitas apostolicæ sedis erga Gallicanam Ecclesiam , per singulos quoque Pontifices paci publicæ consulentes , prudentiæ consuetæ officiis continuetur. Attamen non est dissimulandum quid

*Sores de legib.
7. c. 11. n. 55.*

*C. C. C. Jamda-
dum. De prob.*

*Salgado de suppli-
catione ad sancti. I.
P. c. 1. n. 107. &
seqq.*

*C. Nisi effene. De
præc. c. 3. b. 3.
g. 5. n. De sent. &
is judic.*

*Navar. in Summa
Latina, c. 3.
addit. ad num. 81.
D. Th. 2. 2. q. 6.
art. 2. ad 2.*

hac in parte à viris doctis sit disputatum. Theologi enim quamplurimi existimant , è sola Papæ tolerantia nec Papa consensum colligi , nec jurisdictioni ecclesiasticae præjudicium aliquod inferri : *cum multa per patientiam tolerentur, que si deducata fuerint in iudicium, non deberent tolerari;* ut inquit Innocentius III. Quorum verborum sententiam eos assecutos non fuisse viri erudit contendunt. Etenim certum est è domini patientia legitimam præscribendi caussam præstari , ita ut emenso præscriptionis spatio jus integrum acquiratur : quamvis interim patientia domino non officiat , quin rem suam persequi possit. Quod in caussa Romana Ecclesiæ locum habere docet caput secundum de præscriptionibus ; cuius sententiam ita concipit Ioannes Andreas : *Taciturnitas prelati non nocet Ecclesie, donec sit prescriptum.* Itaque , ut colligunt illi , è patientia & tolerantia Papæ oritur legitimus titulus , qui perficitur præscriptione. Hoc etiam alio capite Alexandri III. probatur , qui decretam à iudicibus delegatis pensionem uni è colligantibus , quæ summo jure constare non poterat , confirmat , illam tolerando : *Nas eam hoc exhibito moderamine toleramus ,* inquit ille. Quæ dicta sunt in genere de tolerantia Papæ , maximè locum habent , cum ad vitandum scandalum & contentiones cum Principibus , ecclesiasticis juribus convivere videtur. Quia valde interest Reipublicæ , scandalum vitari , *cum nonnulla pro utilitate communi contra juris af- peritatem, ex equitatis mansuetudine tolerari noscantur,* ut verbis Decretalium utar. Vnde de Navarro post D. Thomam placuit , ad extingendas lites , ex quibus scanda la ori solent , justam esse caussam dispensandi in prohibitis & veritis. Sed de hoc dispensationum genere secundum mentem veterum , multa dicemus sequentibus capitulo. IX. Constituto in Ecclesia Gallicana Canonum , Decretorum , & consuetudinum receptarum usu , nihil aliud expectandum erit a nostris quæcum ut se difficiles & tecum præstant , si qua , in re gravi , immunitatio acciderit. Cum enim plerisque populis innata sit vetustatis retinendæ cupidio , hæc est Gallorum indoles , ut iisdem semper legibus uti velint , quemadmodum jam olim observavit Agathias. Quare cùm prudentes monuerint magnos in Republica fluctus excitari legum receptarum mutatione , dubitandum non est quin ad leges ecclesiasticas hæc regula trahi debeat. Etenim quæ in genere dicuntur de periculo quod ex legib[us] immutatis sequitur , Augustinus ad consuetudinem ecclesiasticam retulit : *Ipsa quippe mutatio consuetudinis, inquit, etiam que adjuvat utilitate, novitatem per turbat.* Quod potiori jure ad canones referatur ; qui negligi non possunt sine magno diffidio , ut eleganter observat auctor constitutionum apostolicarum : *Hos canones vobis constituimus, Episcopi. Vos autem in iis perseverantes, salvi eritis, & pacem habebitis; non obedientes vero, punieritis, & perpetuum bellum vobiscum geretis, pœnas inobedientie debitas persolventes.* Vnde canone XXXIII. apostolico , quo Episcoporum inter se officia præscribuntur , rectè adjicetur his observatis concordiam retineri ; *& tra p[ro]p[ter]ea l[et]ta.* Hanc regulam Leo I. eleganter expressit in epistola ad Maximum Antiochenum : *Vniuersitate pacis tranquillitas non aliter posterit custodiri, nisi sua canonibus reverentia imtemerata servetur.* Vnde videtur haufisse Symmachus Papa quæ ad Episcopos Galiae scripsit ; qui huic sententiæ memores , viam quæ illis ad concordiam à Summo Pontifice præmonstrata est , quantum fieri potest , sedulò insistunt. *Sedis apostolice instituta prædicanda sollicitant,* inquit , *ut de concordia universalis Ecclesie, que toto orbe diffusa est, per vigili cura tractemus. Que tunc præcipue adolecit, si ea que a patribus statuta sunt, atque subsequens reverenter observet.*

Non incognita fuit hæc antiqua regula Decretalium conditoribus , qui concordiam novitatem convelli professi sunt. *Plerunque discordiam parvunt novitates,* inquit Honorius III. Quare Celestinus III. antiquæ consuetudini deferre maluit quædam diffidiis causam præbere , inducta novitatem in provinciam : *In hac parte consuliū duximus multitudini & observante consuetudini deferendum, quædam alud in dissenstionem & scandalum populi statendum quadam exhibita novitate.* Hac benignitate utuntur quotidie Summi Pontifices erga Ecclesiam Gallicanam : cuius varias consuetudines ideo non convellunt , quia cùm ejus administrationi eas commendas esse videant , et si aliquando à Decretalium jure descedentes , malunt dissimulare hoc vulnus , quædam novitatem inducta , diffidiis & offenditionibus occasionem præbere.

*Agric. lib. 1. c. 6.
G. X. 1. 1. 1.*

*Plato lib. 1. de
leg. Democrit. in
tra Timon.*

*Augustinus
Dionys. lib. 1.
Agath. 1. 1.*

Aug. ep. 11. 1.

*Conf. apoll. 1. 1.
c. 1. 1. 1. 1.
ad ep. 1. 1.
terp. 1. 1. 1.
exempl. 1. 1. 1.
t. 1. 1. 1. 1.
m. 1. 1. 1. 1.
n. 1. 1. 1. 1.
o. 1. 1. 1. 1.
p. 1. 1. 1. 1.
q. 1. 1. 1. 1.
r. 1. 1. 1. 1.
s. 1. 1. 1. 1.
t. 1. 1. 1. 1.
u. 1. 1. 1. 1.
v. 1. 1. 1. 1.
w. 1. 1. 1. 1.
x. 1. 1. 1. 1.
y. 1. 1. 1. 1.
z. 1. 1. 1. 1.*

*Symm. ep. 11. 1.
Gallia.*

*C. Can. 11. 1.
diss. De concil.*

*C. Quid illud.
De coed. 1. 1.*